

1823

C O D I C E S

1824

*Soffii (Sofii) de neapoli. Antonianam puta Antonini ex O. P. ad insulas Florentinas a. 1446. eveneti Institutiones morales, quae titulo Confessionalis, Summae, vel Summulae Confessionis, aut de Eruditione Confessorum sub ipsa Typographiae exordia saepenumero prelo proditae fuere. Tractatus, quem Codex noster primum exhibet, est ejus Operis *Liber II.* in editis inscriptus, *Interrogatorium*, et incipit: *Postquam ille, qui uult confiteri dixit ex se ea que uoluit &c.* Adhaeret in Codice Processus annuus quem faciunt Romani pontifices in die iouis sancto, seu Bulla dicta in Coena Dom. subscripta ab Eugenio IV. a. 1436. *Florentie*, et Elenchus Peccatorum Cordis, Oris, Operis et Omissionis.*

Fol. 71. Incipit prologus super tractatu de Instruzione seu directione simplicium confessorum edito a fratre Antonino ordinis predicatorum. Initium: *Defecerunt scrutantes scrutinio &c.* Respondebat quidem hic Tractatus *Libro I.* in editis; verum ordine materiae diversus, et multo copior est.

Fol. 204. Incipit Tractatus de Restitutione editus a Reuerendissimo patre fratre Antonino Archiepiscopo florentino. De Restitutione agit etiam in editis *Liber III.* sed noster magis accedit ad magnam Antonini *Summariam Theologicam* P. II. Tit. II. c. 2. edit. *Veron.* 1740. col. 365. f. cuius epitropum videtur. Incipit: *Circa materiam restitutionis seu satisfactionis*

notandum &c. et quae in editis priora sunt de viginti manibus, hic fiunt posteriora. Fatum est omnium Excerptorum et Compendiorum, ut a diversis, qui manus iis admovent, augeantur, contrahantur, transponantur, interpolentur &c.

Adscriptae sunt ad calcem Rubrice decretalium Gregorii IX. et Regule iuris.

DCCLX.

*Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 215 Folior. 276. 4. nitide scriptus et rubricis distinctus continet: I. *Guidonis de Monte*, ut ego quidem autumo, *Rocherii (Montrocher)* non *Rotberii*, qui error per similitudinem literarum c. et t illo aevo multum committebatur, *Mnipulum Curatorum*, Opus quondam perutile, et, ut ita dicam, *Vade mecum omnium*, qui animarum cura distinebantur, id quod repetitae Seculo statim XV. Impressiones testantur, quarum rarissimam *Viennensem* a. 1482. 4. indicavi in *Suppl. vernac.* ad meam *Typographiae Vien. Historiam*, 1793. p. 27. 4. ubi etiam de Autore egi. Dicatio ad *Raymundum Valentimum Ep.* incipit: *Fons sapientie dei verbum dispositione mirabili &c.* *Raymundum* hunc *Gastonum* habeo a. 1348. vivis exemptum. Ad calcem hujus Dicationis: *Scriptum Turoli Anno Domini MCCC33°.* non igitur 30. ut est apud *Fabricium*. Quid vero *Turoli*, nisi *Librarius noster illud ex abbreviato Turonis vel Turonib. corrupit?* Sequitur Operis*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4716

1825

C A S U I S T I C I .

1826

ris in *tres particulas* distributio, quae in *Trātatus et Capitula* abeunt. Ipsummet inchoat Prologo: *Quoniam secundum quod dicit propheta Malachias, ymo Dominus per Malachiam: Labia sacerdotis custodiunt scientiam &c.* instruitque potissimum de VII. Sacramentis. Librarii coronis: *Scriptum per me Mathiam Hayder feria 3^a. in die sancti sixti in lembelstarff Anno domini 1454.* quod Oppidum infer. Austr. nunc Leubersdorf, vel Loibersdorf adpellatur.

II. fol. 193. M. Jodoci Weiler de Hailpruna *Trātatus*, ut e calce adsumo, de Casibus Excommunicationis scilicet qui sint de iure uel de consuetudine. Incipit: *Quia, circa literam, Vos estis sal terre, curatus sacerdos comparatur sали &c. et in IX. Lectiones* divisus omnem Excommunicationis, Reservationum &c. materiam in usum Confessariorum egregie pertractat. Pronunciatum fuisse vienne 1450. in calce idem testatur *Mathias Hayder art. Bacal.* scriptor. De Autore saepius in his Commentariis actum est.

III. fol. 270. Sermones II. Prior habitus in novi Sacerdotis Primitiis agit de Sacerdotum dignitate, et incipit: *Omnis honorate &c. prima Petri 2 Quia fideles karissimi nouellus summi dei sacerdos &c.* Alter habitus videtur circa Festum Ascensionis in illud: *Vado ad eum, qui me misit. Joh. 16.* Incipit: *Dominus noster iherus cristus in preclaro sermone &c.* sed Scriptor imperfectum destituit.

DCCLXI.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 192
XV. Folior. 195. 4. calamo crasco exaratus et miniatus inscribitur in Theca exteriore: *Casus summarij. Puta super V. Libros Decretalium Initium ἀντιγραφον: Gregorius episcopus Seruus Seruorum. Ponitur Titulus papalis cum salutacione et persone quibus scribitur. &c.* Nondum satis dispicio inter Bernhardum Bottonum Parmensen, et Bernhardum de Montemirato Compostellanum, quorum hunc circa an. 1250. illum circa an. 1240. floruisse, utrumque vero Innocentio IV. gratum fuisse ferunt. *Casus Longos super V. Libros Decretal.* a Bibliographis jam huic, jam illi tribui video. Itaque vehementer suspicor, non nisi de uno homine rem esse. Quod si ille praeter *Casus longos*, qui non semel sub Typographiae initia prelo proditi sunt, etiam *Breves reliquit*, hos praesenti Codice contineri censeo; *Casus enim breves Argent.* 1493. f. excusi sunt *Decretalium Sixti et Clementinar.*

DCCLXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 1109
Folior. 277. 4. non una manu, munde tamen perscriptus et partim rubro distinctus Varia Vienensis continet, quae enumeranda duxi. I. igitur habetur *Dissertatio Epistolaris* 17. *Capitulis* constans *Thomae Haselbachii nostri ad Petro-*